

**LOCUS**, per quem materia à naturâ evacuat, non unicus tantum est, sed varius. Sanguis per nares, per uterum, per hæmorrhoidas effluit. Ardentes etiam per sudores expellunt succum à sanguine diversum; nonnunquam vitiosos humores ἀνω καὶ κάτω per vomitum & alvi dejectionem ejiciunt. De locô excretionis certiores nonnunquam nos facere solent symptomata. Ita κεφαλαλγία vel hæmorrhagiæ per nares vel vomituum sunt augures. Turbationes alvi, diarrhoeam; dolores coxarum & lumborum per uterum; ani pruritus & gravitas alvi per hæmorrhoidas crisin fieri prædicunt.

**SUDORIS** indicium est **RIGOR** cum suppressione urinæ, pulsus undosus & fluctuans.

**URINA** judicare potest ardentem, si in majori copiâ die criticô judicatoriô emittatur.

Per πνευματισμὸν spiritum felicissimè terminatam ardentem illustris Dn. Præses adnotat in suis scriptis, idque continuum, copiosum, diurnum & nocturnum. Prælagiri potest, cum ad fauces multa & copiosa humiditas descendit.

**CAUSARUM** ratione febres biliosas & ardentes per sudorem terminatum iri, ostendit cutis in ægrô raritas & inclinatio ad sudorem.

In continuis ardentibus & malignis rubor si adsit faciei, capitis gravitas, surditas cum sopore, urinâ semicoctâ, locus crisin per abscessum post aures erit, & prædici possunt parotides. *Excell. Dn. Præses ordine & methodô de febribus cap. 74.*

**QUALITATE** cum bilis peccet, πεπασμῶν concoctione à naturâ factâ, per crisin expurgari illa debet. Si ergò biliosa cocta excernuntur, bona crisis est & laudabilis, nullaque timenda recidiva.

**QUANTITATE** copiosâ & sufficienti si excernatur noxium, laudabile est & salutiferum. **TEMPORE** debitô quando fit judicatio, bonum est. Fieri debet in statu morbi & die criticô, quæ optima est. Ante diem tertium nulla bona fieri potest crisis, quia tam brevi spatiô humor à naturâ non potest concoqui. Tertiô autem die sudores supervenientes, & quinto & septimô & nonô &c. boni sunt, juxta *Com. 4. aphor. 36.* **SEPTIMUS** dies tutissimus

I

est